



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstiones Canonicae De Decimis

Friderich, Melchior

Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]

Caput IV. De Exemptis per Præscriptionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

287 Assert. IV. Si SS. Pontifex scit ab aliqua Communitate non solvi decimas, non requiruntur ad acquirendam immunitatem 40. anni, sed sufficit minus tempus. Ratio patet: quia si SS. Pontifex non vult obligare, cessat obligatio; hic autem consensus potest præsumi etiam ante lapsum 40. annorum. Unde universim de consuetudine, sciente & tacente Legislatore inducta, cum Panorm. *in c. ult. de Consuet.* & Sylvest. *V. Consuetudo n. 6.* docent Lef. *l. 2. de Inst. c. 6. n. 45.* Palao *l. c. n. 2.* Delbene *l. c.*

n. 16. & passim Theologi & Canonistæ, sufficere tempus decennio minus; quin sufficere, bis terte contra legem actum esse. Verum cum non semper ex duobus tribusve contrarijs actibus sciente & dissimulante Principe factis præsumi possit ejusdem consensus in cessationem legis, maximè, si ex hac quæsitum sit jus alteri, uti quæsitum est Ecclesijs per legem de decimis, idcirco Judicis erit arbitrari, quandonam censeri possit Princeps consensisse.

CAPUT IV.

De Exemptis per Præscriptionem.

QUÆSTIO I.

An præscribi decimis possit?

SUMMARIUM.

288. Exemptionem à decimis Clerici præscribunt.

289. Negant hoc multi de laicis.

290. Rationes negandi.

291. Plenam exemptionem etiam laici præscribere possunt.

292. 293. 294. Ratio assertionis.

295. Solutio contrariorum.

288 Immunitatem à solvendis decimis præscribere Clericos posse, receptum esse dicit Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 10.* Verum etiam ab ipfis omnimodam exemptionem, seu ut nullas solvant decimas, præscribi non posse, etiamsi quis per mille

annos viveret, asserunt Domin. *in c. 2. de Præb. in 6. col. ult.* Barbat. *vol. 2. consil. 35. col. 6.* Berlich. *p. 2. concl. 4. n. 24.* ilque omnes, qui tenent, decimas deberi Jure Divino, etiam formaliter sumptas, seu prout sunt determinata fructuum pars.

pars. Alij tamen omnes hanc facultatem præscribendi concedere ipsis videntur, & satis manifestum est ex *c. 6. de Præscript. & c. 1. eod. in 6. vi* quorum Ecclesia contra Episcopum præscribere decimas potest: poterit igitur à fortiori præscribere decimis, cum plus sit eadem colligere, quam non solvere.

289 Igitur Controversia maximè de laicis est. Non posse hos per præscriptionem se eximere ab obligatione præstandi decimas, tradit comunissima Canonistarum, præcipuè antiquorum, sententia, quos sequuntur Guido Papæ *decis. Gratianop. 284. n. 3. Duaren. tr. de sacr. ministr. benef. l. 7. c. 1. Rebuff. de Decim. q. 13. n. 55. Andr. Hispan. regul. decim. q. 1. à n. 11. Borellus in sum. decis. tom. 1. tit. 19. n. 49. Bellamera decis. 40. n. 30. Bellon. vol. 1. consil. 55. n. 7. Hunn. Encyclop. p. 1. tit. 2. c. 2. n. 57.* ubi hanc sententiam judicat verissimam, Crescent. *decis. Rot. Rom. h. t. decis. 108. n. 2.* ac alij Bern. van Espen *p. 2. Fur. Eccles. tit. 33. c. 7. n. 3.* ait, laicum difficulter se eximere posse à decimarum solutione, refertque ex Broudzo *ad Lovetium lit. D. n. 9.* non semel judicatum esse in Gallijs, laicos obligari ad solvendas decimas è suis terris, tametsi à tempore immemoriali eas non solvissent. Idem refert ex Michaële du Peray & Fevretio. Rationes pro hac sententia adduci solent ferè istæ.

290 I. Possessor mala fidei ullo tempore non præscribit. *reg. 2. Fur. in*

6. & c. fin. de Præscript. At is, qui non solvit decimas, est in mala fide, saltem præsumptione Juris, cum contra jus agat. *l. 7. C. de agric. & c. 82. de R. F. in 6. II.* Non solvere decimas idem est ac decimas ex suis agris colligere. Atqui jus colligendi possidere non potest laicus *c. 7. de Præscript.* ergo nec præscribere: cum præscriptio supponat possessionem. III. Decimæ sunt tributa egentium animarum, seu alimenta pauperum. *c. 66. 16. q. 1. & c. 26. h. t.* Igitur præscribi illis nequit, cum subtrahere alimenta idem sit, quod occidere. *l. 4. ff. de agnosc. & al. liber.* Sunt insuper tributum Deo debitum, utpote qui eas sibi reservavit in signum universalis dominij. *cit. c. 26. & c. 33. h. t.* Atqui tributis, utpote Principi in signum subjectionis & dominij debitis non præscribitur. *l. 6. C. de Præscript. 30. ann.* Neque præscribitur obligationibus annuis *l. 7. §. fin. C. eod.* obligatio autem solvendi decimas est annua. IV. Tardiùs, quam oportet, solvere decimas, peccatum est: *sed si tardiùs dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse?* inquit S. August. *relat. cit. Can. 66. cum tantò sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam,* ut dicitur *c. ult. de Consuet.* Denique repeti hïc potest illud Antiquorum Canonistarum, decimas deberi Jure Divino. At contra hoc jus nulla valet præscriptio.

Affert.

291 **A**fferunt Immunitatem à solvendis decimis præscribere possunt non solum Clerici, sed etiam Laici, neque solum quoad quotam, ut loco decimæ solvant v.g. vigesimam, sed etiam plenam, & ut omnino nihil solvant. Ita sentiunt Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 10.* Suar. *c. 12. à n. 8. & c. 13. n. 1.* Gabr. Vasq. *tr. de Benef. c. 1. dub. 5.* Fern. Vasq. *l. 2. controu. c. 89. n. 10.* Azor *p. 1. Instir. l. 7. c. 26. q. 4.* ubi ait, hanc esse Theologorum opinionem, Mart. Navarr. *l. 3. tit. de Decim. consil. 2. n. 5. & in Manual. c. 21. n. 28.* Sylvest. *V. Decima q. 4.* Henriq. *l. 7. Theol. Moral. c. 27. n. 2.* Moneta *c. 5. n. 106.* Molina *tr. 2. de Just. disp. 7. n. 5.* Lels. *l. 2. c. 39. n. 26.* Carpvov. *p. 2. constit. 2. defm. 4. n. 5.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 5. n. 2.* Delbene *de Immun. Eccl. c. 8. dub. 29. sect. 4.* Guttier. *l. 2. 99. Can. c. 21. n. 64.* Valent. *tom. 3. disp. 6. q. 5. pun. 2.* Laym. *l. 4. Theol. tr. 6. c. 6. n. 10.* ubi dicit veram, & communioem, Canif. *c. 17. n. 16.* Pirhing *h. t. n. 129.* Engel. *cod. §. 3. n. 6.* alique, quos refert & sequitur Diana *p. 5. tr. 14. resol. 42.* Assertio solum procedit de casu, quo Clericis aliunde provisum est de decenti sustentatione: hæc enim cum iisdem Jure Naturali & Divino debeat, ut non semel dixi, illi prævalere nulla vel consuetudo vel præscriptio potest. Secluso vero hoc casu, etiam laicos præscribere posse, ut loco decimæ solvant partem minorem, ferè omnes con-

veniunt, ut ait Moneta *l. c. n. 105.* & fatetur Rebuff. *l. c. n. 57.* quamvis id non benè deducat ex *c. 4. & 18. h. t.* quia ibi sermo non est de laicis. Igitur de laicis, & plena eorum immunitate, assertio

Probatur I. à fortiori ex ijs, quæ 292 dixi *n. 260.* cum enim integra communitas ab obligatione solvendi decimas consuetudine eximi possit, multò magis eximi poterunt particulares personæ vi præscriptionis, cum minùs præjudicet Parocho, si unus vel alter, uti fit per præscriptionem, hac obligatione se liberet, quàm si per consuetudinem tota communitas.

II. Possunt præscribi decimæ, ut 293 patet ex *c. 1. de Præscript. in 6.* ergo à fortiori potest præscribi decimis; tum quòd hac præscriptione minus damnum affertur Ecclesijs, quàm illà priore; tum quòd posteriori modo solum tollitur obligatio, quæ dominus fundi erat obstrictus Ecclesiæ, priore verò jus positivum tribuitur illi, cui aliàs de Jure non competit: est autem longè plus, jus adversus alterum acquirere, eumque sibi obligare, quàm solum aliquo se onere liberare, quo ipsi eras obstrictus; estque longè favorabilior liberatio, quàm acquiritio. *arg. l. Arrianus ff. de A. & O.* Hinc etsi servus nihil suum habere, & ideo per præscriptionem acquirere sibi non possit, libertatem tamen præscribere potest. Neque obstat, quòd *cit. c. 1.* non de laicorum,

R led

sed solum de Clericorum præscriptione agitur: cum enim Clerico permittatur facultas præscribendi ipsum jus decimandi, non obstante, quod præscribenti Jura resistunt, censendum est, laico competere facultatem obtinendi, quod minus est, seu præscribendi immunitatem, non obstante, quod jus ipsi resistat: hac enim ratione mera ipsi liberatio conceditur, & jus retinendi, quod suum est. Quod uti Juri naturæ vel Divino non repugnat, ita nullo Jure humano vetitum reperitur.

294 III. Si quid obstaret laico, quod minus præscribere hanc immunitatem posset, illud foret, quia non est capax eam possidendi: neque enim alia ratio fingi potest. Atqui hæc ratio nulla est: quia ista immunitas non est aliquid spirituale, uti est jus decimandi, ut observat Covarr. & Fern. Vasq. *ll. cc. exemptio* enim & libertas à jurisdictione vel Jure alterius sacro, per se est aliquid merè temporale; cum sit mera privatio sacri Juris, & retentio, vel recuperatio libertatis à natura concessæ; hæc autem nihil sacrum continet. Unde bene observat Covarr. *l. c.* si hæc exemptio & libertas esset jus spirituale, tunc laici nec immemoriali consuetudine vel præscriptione eam acquirere possent etiam solum quoad quotam, seu, ut loco decimæ partem solverent minorem; quia nulla vel consuetudo vel præscriptio, quam-

vis immemorialis, reddere capaces alicujus juris potest illos, qui verè incapaces existunt; consuetudo enim & præscriptio capacitatem possidendi non tribuit, sed præsupponit. *c. 7. de Præscript. & c. 3. de R. J. in 6.*

Ad I. Arg. in contrarium N. 291 min. posse enim etiam illum, cui jus resistit, præscribere, modò possessionis sit capax, patet ex *c. 4. & 6. de Præscript. c. 1. eod. in 6.* Hoc duntaxat sequitur, quod in tali casu ordinariæ præscriptionis tempus non sufficiat, sed requiratur longissimū cum titulo, & sine hoc immemoriale. Ad alterumq. neg. ma. Ille enim, qui non solvit decimas, eas non colligit ex suo fundo, sed fructus suos integros percipit absque deductione decimarum: omnes enim mei agri fructus in meo sunt dominio, quamdiu decima inde pars separata non est, nec ante hanc separationem vel re ipsa factam vel designatione, fructus ulli rationem decimarum habent. Ad 3. R. tametsi ex decimis debeantur eleemosynæ pauperibus, ac illæ propterea dicantur tributum egentium animarum, non tamen quæsitum ipsis jus est ad alimenta ex decimis. Hæcque ordinariè non defunt tum ex alijs decimis & redditibus Ecclesiasticis Clericorum, tum ex liberalitate aliorum fidelium, etiamsi aliqui laici exempti sint ab illarum onere. Quin si deessent, non propterea sequitur, præ-

præscribi hanc immunitatem non posse, sed solum, quod illi, qui præscribunt, teneantur elemosynas erogare, quas erogare tenerentur Clerici, si ipsi decimæ integræ solverentur. Ad illud, quod decimæ sint tributum Deo debitum, & quod contra tributa non admittatur præscriptio, abundè responsum est n. 143. Quod additur, præstationibus annuis præscribi non posse, nec l. 7. C. de Præscript. 30. ann. asseritur, neque verum est, ut patet ex c. 4. & 13. de Præscript. & l. 22. C. de Usur. Ad 4. R. Jura ibi allegata, dum peccati damnant eum,

qui non solvit, loqui de eo, qui mala fide solutionem omittit. At nos loquimur de præscribente, ac per consequens de eo, qui bona fide non solvit. Pariter non valet illud sæpius repetitum, contra Jus Divinum neque consuetudinem neque præscriptionem valere: dixi enim n. 291. non præscribi decimis, prout sunt necessariæ ad decentem Clericorum sustentationem; quatenus verò ad hanc necessariæ non sunt, debentur Jure solum humano. Unde non est ratio, cur ipsis præscribi non possit.

QUÆSTIO II.

Qualis Præscriptio eximat ab onere solvendi decimas?

SUMMARIUM.

296. Discordia DD. circa tempus ad præscriptionem requisitum.

297. Exemptio contra Parochiam propriam requirit 40. annos cum titulo sine hoc tempus immemorabile.

298. Responsio ad opposita.

299. Contra illum, cui decimæ Jure communi non debentur, sufficit tempus ordinarium cum titulo, sine hoc quadragenarium.

300. Explicatur hæc doctrina.

301. Dicto tempore non tantum præteritis, sed etiam futuris decimis præscribitur.

302. Respondetur ad opposita.

303. Non requiritur tempus duplicatum.

304. Possessor immunitatis etiam bona fidei, si condemnatur ad solvendum, tenetur solvere etiam præteritas.

305. Occurritur objectioni.

296 **C**ertum est, ad præscribendam immunitatem à decimis requiri illa, quæ ad præscriptionem in

communi requiruntur, nim. Possessionem, Bonam Fidem, Justum Titulum, & Tempus possessionis à

R 2 Legi;

Legibus definitum. Quasi possessionem hujus immunitatis posse etiam laicos habere, & sic respectu horum illam non esse rem vitiosam, patet ex dictis *q. preced.* Circa Bonam Fidem nihil speciale hic occurrit. Dubium duntaxat est de Justo Titulo, & Tempore continuandæ possessionis. Henriq. *l. 7. summ. c. 27. n. 2.* & Tannerus *tom. 3. disp. 5. q. 3. n. 31.* ajunt, sufficere tempus 40. annorum etiam sine titulo, uti referunt Delbene *c. 8. de Immun. Eccl. dub. 29. sect. 5. n. 2.* & Diana *p. 5. tr. 14. resol. 42.* sed malè utrumque referunt. Henriquez enim de quantitate temporis nihil statuit, Tannerus *l. c.* dubiè loquitur, & lectorem remittit ad *disp. 4. q. 1. n. 96.* ibi verò expressè requirit tempus immemorabile sine titulo, cum titulo annos 40. Molfesius *tom. 1. siem. tr. 6. c. 4. n. 46.* Canis. *c. 17. n. 16.* alique existimant, semper requiri tempus immemorabile, vel centum annorum. Verùm distinctione opus esse censemus.

297 Assert. I. Ad præscribendam immunitatem contra Parochiam, cui Jure communi debentur decimæ, requiruntur cum titulo 40. anni, sine illo tempus immemorabile. Ita sentiunt Sylvest. *V. Decima q. 4.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8. in fin. & n. 10.* Navarr. *Manual. c. 21. n. 30.* Valent. *tom. 3. disp. 6. q. 5. pun. 2. in fin.* Rebuff. *q. 13. n. 81.* Suar. *c. 12. & c. 13. n. 1.* Gabr. Vasq. *l. c.* Guttier. *l. 2. Can. 99. c. 21. n. 65.* Molin. *de*

Just. tr. 2. disp. 75. n. 5. Lels. *l. 2. de de Just. c. 39. n. 26.* Moneta *c. 5. n. 112.* Sylvius *in 2. 2. q. 87. art. 1. concl. 5.* Fagundez *in 5. Præcept. Eccl. l. 3. c. 1. n. 24.* Reginald. *tom. 2. l. 20. c. ult. sect. 9. n. 96.* alique neque videre mihi licuit, qui minus tempus requirant. Probatur assertio ex *c. 15. de Præscript. & c. 1. eod. in 6.* ubi decernitur, ad hoc, ut quis præscribat jus decimandi, requiri cum titulo 40. annos, sine titulo tempus, cujus memoria non extat; etiam si sit capax quasi possidendi: eò quòd in tali casu Jura resistant præscribenti. Atqui illis, qui tenentur solvere decimas, sive Clerici sint, sive laici, resistunt Jura; igitur immunitatem, nisi dicto tempore, præscribere non possunt, etiam si etiam laici capaces sint eam quasi possidendi.

Verùm hisce obstare videtur *l. 298* quòd ad præscriptionem tricennalem non requiritur titulus, non tantùm Jure Civili *Auth. Mala fidei C. de Præscript. long. temp. l. 7. si qui prin. & §. 1. C. de præscript. 30. ann.* sed etiam Canonico *c. 3. de Præscript.* ubi nullà factà tituli mentione admittitur præscriptio 30. ann. & *c. 4. eod. & c. 3. de caus. possess.* ubi pariter absque tituli mentione admittitur quadragenaria præscriptio quoad quartam decimarum, & jus eligendi. & nullo Juris Canonici textu asseri, quòd ad quadragenariam præscriptionem non requiratur titulus, cum possi-

possidenti jus commune resistit. Contrarium patet ex *cit. c. 15. de Prescript. & c. 1. cod. in 6.* Neque obstat, quòd *cit. c. 4. & c. 3.* nulla tituli fit mentio; supponitur enim adfuisse, uti notant Vasquez à Chaves in *c. 17. de Prescript. & Gonzal. ibid. n. 15.* Obstat videtur II. quòd præscribenti servitutem in fundo alieno adversatur Juris communis præsumptio, cum quælibet res libera censeatur. *l. 8. C. de Servitut. & nihilominus in præscribendis servitutibus non requiritur titulus l. 10. prin. ff. si servit. vind.* Omissis alijs DD. responsionibus distinguendum videtur cù Covarr *cit. c. 17. n. 7.* inter resistentiam Juris, quæ est ex mera Juris præsumptione; & eam, quæ Jura positivè uni jus concedunt, negant alteri. Porrò Jura meum fundum tantum præsumunt esse liberum, non tamen vetant alijs quasi possessionem servitutis in eodem; unde mirum non est, quòd ad præscribendam servitutem non requirunt titulum. At verò non solum præsumunt decimas pertinere ad Ecclesiam, sed insuper positivè vetant, ne ab extraneis in aliena Parochia percipiantur, ac insuper præcipiunt, ut singuli eas solvant. Igitur positivè resistunt non solum adventibus: ac idcirco ad præscribendam hanc immunitatem meritò plus requiritur, quàm ad præscribendas servitutes.

Assert. II. Ad præscribendam²⁹⁹ immunitatem contra illum, cui Jure communi non debentur decimæ, sufficit ordinarium cum titulo, sine hoc quadragenarium. Ita Glossa in *c. 1. de Prescript. in 6. & in c. 2. de Restit. spol. Alex. in c. 17. de Prescript. n. 53. Laymann. in cit. c. 1. de Prescript. in 6. Engel. h. t. §. 3. n. 9. contra Panorm. in cit. c. 17. n. 35.* (ubi hanc doctrinam Glossæ dicit esse mirabilem seu paradoxam) & Francum in *cit. c. 1. n. 7.* Ratio asserti est: quia si Jus commune petenti decimas non assistit, tunc neque resistit possessori in ordine ad hunc petitem; erit ergo præsumptio bonæ fidei pro possessore, si comparetur cum hoc petitore, cum in pari causa melior sit conditio possidentis. Assertit quidem Panorm. absolute dicit *cit. c. 1.* absque titulo non sufficere nisi immemorabile tempus, si Jus commune resistit præscribenti, vel contra eum sit præsumptio. Verum supponit ibi Pontifex, præscribi contra eum, cui decimæ Jure ordinario debeantur: neque enim contra eum, cui Jure communi non debentur, præscribenti Jus commune vel præsumptio resistit.

Ex dictis colligitur, si Abbas v. g. 300 vel Ecclesia, quæ in aliena Parochia colligit decimas, contra alium Abbatem aut Ecclesiam agit judicio petitorio decimarum, & Ecclesia conventa obijciat præscriptionem

ortam ex 40. añorum quasi possessione cum bona fide; non esse opus allegari & probari titulum: nisi actor Prælatus munitus sit privilegio sexagenariæ aut centenariæ præscriptionis; tunc enim tanti temporis quasi possessio à reo probari debet, sed absque titulo. Colligitur II. Si contra privatum Clericum, cui jus decimandi Jure communi non competit, vel contra laicum, opponatur exceptio usucapionis, sufficere, si cum bona fide & titulo probetur quasi possessio 10. annorum, & sine titulo 30. quia in istis casibus Jus commune præscriptionis obtinet; hoc autem Jure plus ad præscribendum non requiritur.

301 Verùm contra utramque assertionem gemina difficultas consurgit. Prima ex *l. 7. §. ult. C. de Præscript. 30. ann.* juxta quam, ex sententia Martini aliorumque communi, præscribi non potest annuis præstationibus in futurum, sed tantum præteritis, seu decursis, quæ videl. solvi quidem vi contractus debuerant, solutæ tamen non sunt. Quam sententiam verissimam esse dicit Schiurpf. *cent. 1. consil. 10. n. 12.* & certam asserit Gail. *l. 2. obs. 79. n. 1.* multisque Camera Imper. præjudicijs confirmatam. Idem de praxi Camera testatur Mynsing. *cent. 3. obs. 13.* Cum igitur decimæ sint præstationes annuæ, aut instar earum, consequens est, quòd præscribi quidem

possit decimis præteritis, non item futuris. At æque communis, aut etiam receptior, cum Bulgaro tenet, unam præscriptionem sufficere ad tollendas tam futuras, quam præteritas præstationes. A qua opinione Arnold. Rath *tr. de Usucap. c. 4. assert. §. neminem* facillè dissenturum esse existimat, nisi qui deceptus sit malo intellectu *cit. l. 7.* Hanc verò ipse cum Bachov, *in Tr. vol. 2. disp. 22. th. 3. lit. F. §. de annuis* optimè, nisi fallor, & ita explicat, ut nullum inde fundamentum proprio opinione erui possit. Quidquid verò sit de annuis præstationibus, de quibus ibi Justinian. loquitur, aliud certè statuerunt SS. Jura de decimis; nam *c. 4. de Præscript. eum*, qui 40. annis quartam decimam non solvit, ab omni obligatione absolvunt, & *c. 6. eod.* ex quadragenaria præscriptione jus decimandi in aliena Parochia concedunt: quia *quadragenalis*, inquit, *præscriptio omnem prorsus actionem excludit*; si omnem, tunc non solum præteritam, sed etiam futuram.

Hinc admittenda non est explicatio, & applicatio dictæ legis 7. ad casum de decimis, quam nonnulli faciunt, distinguendo præscriptionem: unam, quæ præscribitur principali & universali annuæ obligationi, quæ se habet respectu omnium præstationum annuarum; ac alteram, quæ præscribitur obligationi speciali & secundariæ dandi res

di res singulas singulis annis. Illa, inquit, computatur à die, quâ primitus cessatum est à solutione; altera à singulis annis vel mensibus, quibus res solvi debuisset. Unde inferunt: si quis v.g. per 50. annos decimas bonâ fide non solvit, non tenebitur quidem illas decimas restituere, quas primo decennio percepit, quia etiam respectu illarum 40. anni lapsi sunt; neque illas, quas ultimo decennio percepit, quia illæ post præscriptionem jam completam perceptæ sunt; illas verò, quas intermedijs 30. annis percepit, restituere omnino tenetur, cum respectu illarum (numerando præscriptionem à singulis annis, quibus solvi debuissent) ex defectu 40. annorum necdum completa sit præscriptio. Non, inquam, hæc admittenda sunt quoad solutionem decimarum intermedijs 30. annis perceptarum: quia *cit. c. 4.* absolute immunis declaratur, qui per 40. annos quartam decimam Episcopo bonâ fide non solvit, & *cit. c. 6.* jus decimandi in aliena Parochia absolute addicitur illi, qui in illius quasi possessione per 40. años fuit, nec additur (quod tamen addi oportuit, si illa Legis 7. decisio etiam in decimis locum haberet) debere illum decimas ante completam 40. annorum possessionem perceptas restituere: neque dici potuisset (quod tamen ibi dicitur) quadragenali præscriptione omnem prorsus actionem excludi.

303
 Aliam difficultatem proponit Covarr. *cit. c. 17. n. 10. ex l. 7. ff. quemadm. servit. amitt.* ubi ad admittendam servitutem discontinuam requiritur, ut tempus non usûs sit duplicatum. Cum igitur jus decimandi non competat quotidie & semper, sed certo solum anni tempore, ac idcirco ejus quasi possessio sit discontinua, ut cum Innocent. *in cit. c. 4. de Prescript. & Felin. ibid. col. penult.* observat idem Covarr. consequens esse videtur, ad hoc, ut per usum amittatur, non sufficere tempus ordinariûm 40. annorum, sed requiri duplicatum. Verum & cum eodem, imprimis jus decimandi non esse servitutem, sed præceptum de solvendo esse quandam Ecclesiæ justissimam indictionem. Unde metiendi non est regulis servitutum temporalium. II. Cum tempus 40. annorum sit longissimum, idcirco, ubi requiritur à Jure Canonico, non duplicatur, uti notant Panorm. & Felin. ac alij *in cit. c. 4. de Prescript. Cæpoll. de servit. urban. præd. c. 24. Balb. de Prescript. p. 3. p. 4. princip. q. 2.* ubi ait: *magis communis conclusio est, quod ista duplicatio non fiat respectu Ecclesiæ, quia contra Ecclesiam regulariter præscribitur 40. annis indistincte absque aliqua duplicatio- ne.* Hinc, ut observat Covarr. *l. c.* nec viginti anni, qui inter absentes exiguntur, in his præscriptionibus duplicantur. III. Personales servitutes,

vitutes, quæ à re personæ debentur, vel à persona personæ, non sunt discontinuæ, ut tradunt Bartol. in l. Justo ff. de Usucap. Paul. Castr. l. 1. consil. 444. n. 18. & l. 2. consil. 3. col. ult. Panorm. in c. 3. de causa poss. n. 42. Felin. in cit. c. 4. n. 38. Balb. de Præscript. p. 2. p. 5. princip. q. 3. n. 5. ubi dicit esse communem. Etsi ergo daremus, jus decimandi esse servitutem, foret illa tamen continua, & sic non habebit locum cit. Lex 7. utpote quæ loquitur de servitutibus discontinuis.

304 Elegans hîc dubium, idque utilissimum, movet Engel h. t. §. 3. n. 10. Dubitatur, an is, qui bonâ fide per vicennium aut tricennium decimas non solvit, & postea ad earum solutionem condemnatur, solvere teneatur non solum futuras, sed etiam præteritas? Ratio dubitandi simulque dicendi, quod solum ad futuras teneatur, videtur esse: quia bonæ fidei possessor fructus bona fide consumptos non tenetur restituere. §. 3. s. Inst. de rer. div. Placet ejusdem Doctoris opinio, existimantis, teneri illum solvere etiam præteritas: alia enim est ratio fructuum, quam decimarum. Fructuum enim dominium, etsi re ipsa sit apud dominum agri, possessor tamen bonæ fidei habet dominium præsumptum, eatenus videl. ut exclusa actione in factum eos consumere possit, quamdiu bona fides durat, facitque suos inte-

rim, ut loquitur Paulus l. 43. ff. de acq. rer. dom. donec videl. repertantur, vel consumantur, vel lis super evincenda re contestata fuerit, ut fusè explicant Harprecht in cit. §. 3. s. n. 56. & seqq. & Bachov. in Tr. vol. 1. th. 1 r. lit. D. At verò Ecclesia, ut infra dicitur, non habet dominium fructuum in agro decimabili, antequam decima eorum pars separata vel designata fuerit, sed dominus agri omnium quoque fructuum dominus est, solumque obligatur Ecclesiæ ad decimas inde solvendas: obligationes verò & actiones regulariter sunt perpetuæ, seu durant ad 30. annos, & contra Ecclesias usque ad 40. Prin. Inst. de perp. & temp. act. junctâ l. omnes & l. sicut C. de Præscript. 30. añ. c. 8. & c. ad aures de Præscript. Igitur non cessat actio, quam adversus illum habet Ecclesia, nisi per lapsum 40. ann.

Unde in decimis locum non habet illa regula, quod possessor bonæ fidei fructus lucetur: nam decimæ respectu Parochiæ, cui debentur, non sunt aliquid accessorium, uti sunt fructus agri, sed sunt ipsa principaliter in obligatione: principali autem obligationi adversus Ecclesiam non præscribitur, nisi 40. annis. Neque valet, si quis dicat, decimas illas, quæ solvi debuerant, solutæ tamen non sunt, esse res mobiles, res autem mobiles triennio præscribi etiam adversus Ecclesiam. Auth. Quas actiones C. de SS. Eccl.

SS. Eccl. & Can. pen. 16.9.3. Nam &c. neque mobiles præscribi adversus Ecclesiam, nisi 40. annis cum titulo, & sine hoc tempore immemoriali, si possidenti Jus commune resistit: cum Canones, qui in casu resistentis Juris tempus quadragenarium & inmemoriale requirunt,

absolutè loquantur, nec inter mobilia & immobilia distinguant. Accedit, quod Dominus fundi fructus ejusdem non præscribit (cum ipsius sint, non Ecclesiæ) sed solum præscribit actioni; hæc verò, ut dixi, nisi dicti temporis casu non extinguitur.

CAPUT V.

De Exemptis per Pacta & Statuta.

QUÆSTIO I.

An contractu vel statuto acquiri possit immunitas à solvendis decimis?

SUMMARIUM.

306. Varij modi paciscendi super decimis.

307. Potest fieri compositio super decimis præteritis absque consensu Superioris.

308. Pariter sine hoc consensu potest Parochus illas remittere vel super ijs transigere ad suam vitam.

309. Potest cum consensu Superioris Ecclesiæ eas etiam in futurum remittere, si aliunde ipsi provisum est.

310. Potest Parochus consentiente

Superiore transigere super decimis futuris, ita ut obligentur etiam successores.

311. Laicus decimator absque consensu Superioris eas remittere potest, vel super iisdem transigere.

312. Valet Statutum SS. Pontificis de non solvendis alicubi decimis; non item Statutum secularium.

313. Tametsi alicubi detur consuetudo non solvendi.

306 Varij modi paciscendi, & transigendi concipi possunt, quibus immunitas ab onere decima-

rum acquiratur. Nam I. liberaliter remitti possunt per pactum de non petendo. Quæ ab aliquibus di-

S citur